

Thesis IV.

Qui nimium religiose dispositionem in Poëmatum sequi student compositione, raro Poëeos sublime adsequuntur. Excitati enim ingenii quo impellit impetus, non, quo imbecilles dispositionis leges ducunt, eo tendat Poëta. Excedunt plerumque libera arctos limites ingenia, & non artificiose tenuum dispositorum membrorum ordine, sed libero dignoque carminis nobilitate modo conspirantium sublimum idearum series connectunt.

Thesis V.

Obligatur quidem solutæ orationis legibus Poëta, ut ad dictionis quamdam Majestatem adspiret, maximum tamen poëticæ elocutionis vitium est, si sublime sectaturus, inflata utitur dictione. Extollant eminens hoc puerilibus encomiis vitium imperiti; qui sanis Poëeos est imbutus principiis, *projicit ampullas et sesquipedalia verba.*

Thesis VI.

Plane autem infelici Minerva nata mihi esse videntur ingenia, quæ ad fordidum abjectumque delabuntur dictionis genus. Inflatum si sanæ rationis legibus represseris stylum, corriges, sed hos, quos natura non formavit, Poëtas nulla arte juvabis; nam longe est facilius, magno detrahere, quam parvum augere. Hic locum sibi vindicat scribendi genus, quod a Gallis *Burlesque* vocatur. Hoc suo seculo omnes superavit *Scarronius*, fecuturis autem ita degeneravit temporibus, ut non tam amoenitate adficiat, quam obsecna fuditie lectoris animum lœdat.

Thesis VII.

Quemadmodum poëmata a prosa distincta sunt, ita & una carminis species, & stili caractere, & inventionis legibus discrepat ab alia. Hinc ii demum aliiquid in Poësi profecisse mihi videntur, qui in illis, quæ humilem requirunt dictionem, thematibus, temperare sibi a grandi magnificoque stilo possunt. Hoc est quod in Marone mirata sunt secula, cum in Eclogis humilem, in Georgicis mediocrem, in Æneidum libris sublimis heroicique carminis characterem ita exprefferit, ut naturam ipsam expressissime existimandus sit.

Thesis VIII.

Materiæ personisque simili tractandæ sunt Eclogæ stilo; Nymphas, venatores, pastores, filias, campos, flumina, armenta, amores rixasque suas elocutione, quæ est simplicissima, describunt. Sententiarum vibrare acumina, abstrusa laudem adfectare eruditione, ad illud, quo Heroës superbunt, genus, vocem extollere, Nymphas Pastoresq; non decet. Hos tibiis fistulisque canere, non bellicosam oportet inflare tubam.

Thesis IX.

Dramate qui laudem consequi student, ab antiquitate posteris commendatis sanæ rationis legibus omnem impendant operam; five enim excitatos adfectus, five artificiosissimam simplicitatem, five dignam personis materiaque elocutionem spectes, | omnibus palmam præripint veteres. Quo